











DA BOX

= L N 400

M



OFFICIA PRÆCIPVA coniugum.

IN HONOREM NVPTIARVM, MAGNIFICI VIRI, NOBIlitate generis, pietate, eruditione & autoritate præstantiss: Henrici Belouu, Domini de Spotterup & Resselin, Inclyti regni Daniæ Senatoris prudentiss: & arcis Collingensium præsidis, summi Musarum & sui Mecœnatis Sponsi &

NOBILISSIMAE, PVDICISSIMAEQVE Virginis Elisabethæ Schrammiæ, Nobilissimi viri Laurentij Schram Dñi de Haestrup filiæ, Sponsæ.

Epithalamij loco ex Philosophorum scriptis excerpta, & carmine reddita

à

Nicolao Bartolino Collingio.



HAFNIÆ,
Impressit Laurentius Benedictus.
Anno Domini
CIↃ IↃ LXXXIII.

2

HENRICO BELOVIO SPONSO
Mæcenati ſuo S.

DEſcribant aliȷ̃ numeroſo carmine faſtus
Quos celebrare ſolent, tædæ qui prima iugalis
Fundamenta locant; primaq; ab origine ducant
Natales Henrice tuos, & Belouiorum
Schrammorumq; genus patriæq; inſignia ſtirpis
Fiſſam aquilam nigram in partes, & ſcanſile lignum
Rubrum, quo pugnax tranſcendit mænia miles:
Inde tuæ formam & virtutes Eliſabethæ:
Quaq; tuum pariter ſacræ velut agmine facto
Erudiere animum & corpus virtute, Camenæ.
Scilicet hæc noſtras ſunt exuperantia vires,
A teneris adeò qui non aſſueuimus annis
Fonte caballino largos haurire liquores.
Varniades facient hoc vates & Myliani
Quos Heliconiades gremio edocuere ſonoræ.
Admouitq; recens natis fæta vbera Pallas.
Nos leges, quarum paſsim meminere ſophorum
Ludi, & cum primis naturæ nobile lumen,
Doctus Ariſtoteles conati reddere verſu
Ieiuno offerimus, tædæq; dicamus honori
Præſentis, Muſis Mæcenas optime noſtris.
Hæc quæſo placido accipias munuſcula vultu
Dum maiora parant aliȷ̃, menſaſq; coronant
Cratere aurato, vinum præbente falernum
Vtq; facis minimum cumulato fauore clientem.
Quod ſupereſt Dominum deuota mente precemur,
Coniugium vt vobis fœlix fauſtumq; ſecundet,
Fecundamq; domum faciat, beet, ornet, honoret.
Sic veluti pinguis quas profert pampinus vuæ
Fœlices venient nati ſeriq; nepotes.
Atq; breui veſtra parui ſpacientur in aula
Belouȷ̃, veſtros animos ac ora ferentes.
Sic etiam nexu concordi & pace ligatæ
Nunquam ſcindantur ſtudia in contraria mentes.

T. Magnificentiæ

Cliens

N. B. Collingius.



LEGES PROBÆ fœminæ.

VT primũ ingreditur thalamos noua nupta iugales
Fit regina potens, cuius quod continet in ſe
Subiacet imperio domus, haud vt lege miniſtret
Illa ſua, arbitrioue ſuo, ſed iuſſa mariti
Si bona ſint ritè expediat, ſin praua modeſtè
Corrigat, imperij tamen hæc ſit regula, ſoli
Noſſe ſuo quid diſpliceat, placeatue marito.
Hoc faciet ſummo mulier conamine, & illud
Oderit extremè, rabido cane peius & angue.
Inde pudicitiæ ſemper ſtudioſa, cauebit
Ne cuiuis pateant ſocij clauſtra æmula lecti.
Nam læſam nulla famam medicaberis arte,
Vulnera quæ circumrodentis canceris inſtar
Serpit & in vulgi ſermones ſeminat aures.
Mox veluti roſa quæ tenui decerpitur vngue
Marcet, & amiſſo cum flore amittit odorem,
Grata prius folijs, gratiſſima flore & odore.
Non ita ſollicitè radiantes murice & auro
Inquirat veſtes, aut longa monilia collo
Tertriplici gyro ſuſpenſa, ruboréq; tinctas
Fucato malas, quæſitoſue vndiq; greſſus.
Quam vitam ſceleris puram, ſobolisq; viriq;
Atq; domus curam propriæ: ſunt coniugis iſta
Materies veri ornatus, quæ pondera laudis
Non fictæ cumulat, ſeroſq; reſeruat in annos.
Forma perit, veſtes tinea abſumuntur, & vno

Morbillo titubant greßus, facies citò pallet,
Integritas vitæ remanet, castiq; pudoris
Fama, hæc penelopen æternum viuere fecit,
Fecit & Alcestis nomen memorabile mundo.
Seria si fuerint tractanda aliquando marito,
Fœmina non quærat, quid agat respublica, reges
Quid sic consilij versent, sunt garrulitatis
Ista graue indicium, qua non mage dedecus vllum
Fœmineum genus excercet, neq; durius vrget.
Si mandante viro sumptus fecisse neceße est
Non se morosam mulier, verum officiosam
Præbebit, monitis parere parata mariti:
Sordities tamen hinc absit procul omnis, & illa
Ingens quæ loculos vacuat profusio rerum.
Cumq; suos dederit næuos natura cuiq;,
Æqua mente ferat mulier, si quando maritum
Ira, furor breuis, aut crimen leue, pectora turbat,
Inq; errabundum neq; verba proterua mouebit.
Quin magis illa sui turbato in pectore motus
Blanda silensq; viri facili moderabitur arte.
Blanda silensq; potest irarum fœmina flammas
Pellere corde viri, rixis aßueta marito
Et dolor & causa est multorum sæpe malorum.
Nec mirum, nam si feruenti adieceris igni
Pingue oleum, magis ardescet, si adieceris iræ
Rixas, irarum quis non ardesceret æstu?
Quod si forte premat fortuna aduersa maritum
Omnibus in rebus coniunx succurrat, egentem

Non ope defraudet, non aſpernabitur ægrum.
Aßiduè potius cœleſtia numina iunctis
Poſcat opem precibus, ſic cura domeſtica multo
Omine ſuccedat meliori, ipſiq; ſodales
Paupertate graui, morbo ærumniſq; ſoluti
Cantabunt Iouæ per ſecula plurima laudes.
Quiſquis enim placidè caſus tolerare moleſtos
Nouit & auxilium Iouæ implorare, petitis
Si non ex voto fruitur, meliora præhendet.

LEGES MARITI BONI.

Cumq; nouus ſponſus ſit parti fœderis autor
Et caput, ille ſuas perpendat acumine leges
Mentis, & anteaquam celebrat ſponſalia more
Suſcepto, has curſim noctesq; dieſq; reuoluet.
Nam multum intererit, qualem ſibi fœdere iungat
Connubij ſociam Vir, quaue Vxore maritus
Suſcipiat prolem, patriæ fulcimina ſedis,
Qui quid ſit patrium perpendit nobile nomen.
Non igitur ſolum formam, neq; ſtemma ſuperbum
Diuitiasq; petat dubias, aut ſepta colonis
Prædia, piſcinas, ſaltus, ſiluasq; virentes,
Sed talem cuius probitas eſt nota fideſq;
Coſtam, quamq; pij vera pietate parentes
Eduxêre annis teneris ipſaq; iuuenta.
Hoc agitans ſeris ſolamen habebit in annis
Et vitæ ſociam, qua cum ſine crimine vitam
Tranquillam pius & fœlix traducere poßit.
Si formæ decus accedat, ſi nobilitatis

Enumeret seriem, tritauósq; abauósq; atauósq;
Qui pietate graues, meritisq; in patria regna
Virtutem egregijs factis in luce locarunt,
Non exprobrando hæc iterans, censebitur ille
Præ reliquis fortunatus fœlixq; maritis.
Ingressus thalamos sponsus fœlici Hymenæo
Non vagus illicito Veneris rapiatur amore
Sed fidei memor obseruet, quæ fœdera sanctè
Ante aras vni pepigit data dextera sponsæ.
Aut digito, puro solitus formarier auro
Annulus impositus, sinceri pignus amoris.
Turpe sodalitium, & gaudentes more bibendi
Deuitet, quibus haud vitium est sed gloria magna
Ebrietas, commune malum, crimenq; iuuentæ.
Ebrietas, qua non aliud violentius vllum
Eneruat vires, morbosq; accerset acutos.
Grata quidem primos cum sese fundit in artus
Verum ingressa caput, sensus obnubilat omnes.
Partas fundit opes, effuso sanguine gaudet,
Et Veneri addictos reddit furiosa scelestæ.
Aspera in vxorem neq; sit censura mariti
Si minus attentè, aut sine lege domestica tractet
Munia, sed doceat sponsam, quæ scire necesse est.
Ingressam nuper thalamos, non verbere, non vi
Sed verbis placidis, & miti corrigat arte:
Sic magis illa suum Dominum amplectetur amore.
Atq; licet iuuenis fuerit, monitore frequenti
Docta, breui curam domus inculpata subibit.

Leges

Et quia de gemino formatum est corpore corpus
Vnum cum dextram dextræ coniungit ad illud
Muneris electus flamen, seruare necesse est
Communes etiam sociali federe iunctis
Normas, stet modo salua domus, rixisq; soluta.
Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
Et casto delectatur, quem sanxit, amore
Huic ergo casto sunt vota precesq; ferendæ
Pectore, sic placido, quæ iunxit pectora, nexu
Conueniant, noscantq; illum quem pingit amorem
Hoc ritu in genus humanum seruator Iesus
Debetur pietas genitoribus, illa parentes
Sponte viri foueat, sociæ ferat ille vicissim.
Alter in alterius consanguinitate propinquos
Affinesq; dabit veri documenta fauoris.
Cumq; opus est re, consilio, officijsq; iuuabit.
Sic nexu gemino socientur corda fauore
Plurima, amicitiæ sic fædera sancta virescant.
Prognatæ sobolis pia cura incumbit vtriq;,
Quam sacro erudiant verbo, dominiq; timore:
Non indulgentes natis: Nam blanda iuuentam
Addictam vitijs facit indulgentia patrum:
Et facies austera nimis, morosaq; dicta
Sæpe iuuentuti officiunt iterata probatæ.
Consultum magis est pueris si quanta sequantur
Commoda virtutem doceat, numeretq; prioris
Temporis acta parens senio venerandus & annis

Quos tulerit casus, quales virtute labores
Vicerit, his stimulos capiunt in viscera nati
Virtutum, & duros casus virtutis amore
Vincunt, desidiaq; sibi torpescere ducunt
Turpe, aut fortunas corradere turpibus ausis.
Sin minus illa iuuent, non suadeo parcere virgis,
Sedulitate pari communes quisq; labores
Sufferet, atq; domum propria virtute beabit.
Iustitia cunctis prælucens & bonitate
Vt morum videant viua exemplaria serui.
Cumq; ferat dubio volucris fortuna rotatu
Lætitiam genitrix, multosq; nouerca dolores.
Alterius quærat sic mutua cura salutem,
Ille volet propriam potius profundere vitam,
Quam vidisse malum dilectæ coniugis, illa
Dilectum simili socium amplectetur amore.
Hæ sunt connubij leges, & fædera, quæ si
Dextrè seruentur, socialem commoda vitam
Multa manent: Nati veluti plantaria pinguis
Pubescant oleæ, & cingent longo ordine mensam.
Fercula difficili quamuis sint parta labore
Dulcia erunt, & prosperitas ex arce Sionis
Coniugium circumcinget, seroq; parentes
Aspiciant natos natorum in secula quarta
Et Solymæ tandem pacem, pacem super æuum.

